

**diviso aequale, multoque minus illud excedat.** — Sequitur ex regula praecedenti. Est praeterea principium per se notum quod *Omne totum est maius sua parte.*

Dices fortasse. Cum homo animalitate et rationalitate constare affirmatur, primum membrum huius divisionis, scilicet *animal*, excedit divisum: latius enim patet, quam *homo*. Respondeo, in divisione alata animal considerari, ut partem *totius integralis*; latius vero patet, quatenus est *totum universale*. Iam vero nihil prohibet unum idemque secundum diversas considerationes esse totum et partem. Apposite S. Thomas: "Dicendum, quod universale magis commune comparatur ad minus commune, ut totum et ut pars. Ut totum quidem, secundum quod in magis universali non solum continetur in potentia minus universale, sed etiam alia, ut sub animali non solum homo, sed etiam equus. Ut pars autem secundum quod minus commune continet in sui ratione, non solum magis commune, sed etiam alia, ut homo non solum animal sed etiam rationale." (*Summa th. 1. p. q. 85. a. 3. ad 2.*)

3<sup>a</sup> **Unum divisionis membrum alterum non includat.** — Secus falso affirmares membrorum divisi aliud esse hoc, aliud vero illud. Neque obstat huic regulae exemplum supra allatum, quo videlicet bonum dividitur in honestum, utile, et delectabile. Licet enim eadem res possit esse bona triplici hac bonitate, ex. gr. virtus, non est tamen eadem uniuscuiusque ratio obiectiva. Apposite rursus Angelicus Doctor: "Haec divisio non est per oppositas res, sed per oppositas rationes. Dicuntur enim illa proprie delectabilia, quae nullam habent aliam rationem appetibilitatis nisi delectationem, cum aliquando sint noxia et inhonesta. Utilia vero dicuntur, quae non habent in se unde desiderantur, sed desiderantur solum, ut sunt deventia in alterum, ut sumptio medicinae amarae. Honesta vero dicuntur quae in seipsis habent, unde desiderantur." (*Summa th. 1. p. q. 5. art. 6. ad 2.*)

4<sup>a</sup> **Quoad eius fieri potest, divisio sit brevis.** — Secus non erit modus sciendi sed confundendi. Huic tamen regulae non adversatur qui primo dividit totum

in pauca membra eaque proxima et immediata, ac dein singulas partes in sua membra ulterius subdividit, et haec iterum in alia, quousque distincta notitia singulorum habeatur. Id enim non est divisionem conficere prolixam, sed divisiones breves et commodas multiplicare. Sed in hoc etiam, sicut in ceteris, modus servari debet. "Simile enim confuso est quidquid usque ad pulverem sectum est," ait Seneca, *Epist. 89.*

## ARTICULUS VIII.

### De definitione.

91. **Quid sit et cur ita vocetur.** — Definitio nihil aliud est nisi *oratio significans quid res sit.* Nomen accepit a termino seu terminando. Quemadmodum enim res omnis suis quaeque terminis seu confiniis concluditur et ab aliis separatur, ita per definitionem propria cuiusque rei natura menti exhibetur ita ut nihil, quod ad eam non pertinet, superabundet, nec quidpiam, quod ad eam pertinet, desideretur. Est et alia ratio, cur ita nominetur. "Incipit enim, ait S. Thomas, cognitio rei ab aliquibus signis exterioribus, quibus pervenitur ad cognoscendam rei definitionem; quo cum pervenit fuerit habetur perfecta cognitio de re." (5. *Metaph. lect. 19.*)

92. **Definitum proximum et remotum.** — Id, cuius essentia vel natura per definitionem explicatur, dicitur *definitum*. Quare, licet terminus, quo significatur definitum, distinguatur a termino sive oratione quae definitionem continet, id tamen quod utroque significatur, est idem diversimode expressum, videlicet confuse per definitum, et distincte per definitionem (1). Duplex autem

(1) Ad rem S. Thomas. "Dupliciter definitio potest considerari, vel secundum id quod significatur per definitionem, vel secundum

distinguitur definitum, *proximum* videlicet, quod et immediatum dicitur, ac *remotum* seu mediatum. Proximum est ratio communis per intellectum abstracta ab inferioribus, v. gr. ratio *hominis* absolute considerata. Remotum vero sunt inferiora, quae in praedictae notionis extensione continentur, puta Paulus, Franciscus, quae cum non definiantur immediate sub propriis conceptibus, sed mediante conceptu naturae secundum se et absolute consideratae, ideo dicuntur definiiri mediate et remote. Quocirca nonnisi proximum proprie et simpliciter definitum vocatur.

93. **Definitio verbalis seu interpretatio.** — Definitio imprimis dividitur in *verbalem* et *realem*. Illa manifestat vim seu potestatem verborum ac proprie vocis *interpretatio* dicitur; alia vero manifestat naturam rei per vocem significatae. Duplex porro est interpretatio vocis. Prima habetur ex sensu, quem communiter homines affigunt voci; altera vero ex sensu, quem ipse loquens libere determinat. Haec posterior interpretatio rationabiliter quidem adhibetur ad lites et inutiles quaestiones vitandas, ubi nempe occurrit vocabulum dubiae significationis; sed quando vox unam et certam significationem apud omnes habet, eam in alieno sensu detorquere et est plane ineptum, et magnam idearum confusionem ingereret, et ipsius societatis vinculum disrumperet. Altera vero interpretatio tribus modis communiter fieri consuevit. Primo, significationem vocis deducendo ex eius etymologia, quando nempe haec illi respondet: ex. gr. *Rex, a regendo, est qui populum gubernat; lex, a ligando, est quae obligat ad aliquid faciendum vel omitterendum*. Secundo, per vocem alterius idiomatis, vel clariorem eiusdem; ut passim videre est in lexicis. Tertio

intentionem definitionis. Si primo modo, tunc idem est significatum per definitum et definitionem; unde dicit Philo. 4. *Metaph.*, quod ratio quam significat nomen est definitio; et sic definitio et definitum sunt idem. . . . Si autem consideretur definitio secundum suam intentionem, sic definitio non est definitum, sed ductivum in cognitionem eius. (1. *Dist.* 25. q. 1. a. 1. ad 2.)

denique, ipsa definitione vel declaratione rei propositae; ut si *fidem* definias sic: *Fidem voco assensum rei dictae praestitum propter dicentis auctoritatem*.

94. **Quid definitio rei, eiusque discriminatio a definitione verbali.** — Definitio rei manifestat, ut diximus, naturam rei nomine significatae. Hinc non uno titulo differt a vocis interpretatione. Etenim vocis interpretatio aliud non intendit nisi determinare sensum, quo vox accipienda est, praescindendo utrum detur nec ne res, de qua hic sensus verificetur; ac propterea etiam termini removentes, ex. gr. *creatura perfectionis infinitae*, huiusmodi definitionis sunt capaces. Contra, definitio realis praesupponit dari in rerum natura aut saltem possibilem esse rem, cuius definitio quaeritur, eiusque naturam investigat. Hinc definitio nominalis praecedat omnem de re quaestionem, et evadit definitio realis, descriptiva saltem, cum ad quaestionem *an res sit*, responderet affirmative. Praeterea interpretatio vocis pluries determinatur ex arbitrio loquentis, immo primum sic determinata est quaelibet impositio nominis; vocabula enim sunt *signa ad placitum*. Contra, definitio rei non pendet ex voluntatis optione, sed ex eiusque rei natura. Hinc prior mutationi est subiecta, quemadmodum et vocum significatio; altera vero est de se immutabilis.

95. **Definitio rei improprie talis seu descriptio.** — Porro definitio rei duplex distinguitur, alia improprie, alia vero proprie dicta. Prior *descriptiva* seu *descriptio* nuncupatur, eaque fit per rei propria seu accidentia, ut si hominem definias *Ens intelligens et mortale*. Haec rei essentiam non explicat, eam tamen quibusdam veluti lineamentis adumbrat, ac propterea *descriptio* nuncupatur. Ceterum ad hoc definitionis, licet improprie, genus recurrere saepe cogimur propter mentis nostrae imbecillitatem. Quia substantiales differentiae, ait S. Thomas, non sunt nobis notae, vel etiam nominatae non sunt, oportet interdum ut differentias accidentalibus loco substantialium. ( *Somma th.* 1. p. q. 29. a. 1. ad. 3.)

96. **Definitio rei proprie dicta, seu quidditativa.**

Definitio denique simpliciter ac proprie talis ea est, quae rem explicat per principia essentialia, quaeque propterea *essentialis* sive *quidditativa* nuncupatur. Haec si fiat per principia essentialia, quae physice rem componunt, vocatur *physica*; ut si corpus definias *substantiam ex materia prima et forma substantiali constitutam*. Si vero fiat per genus et differentiam specificam, dicitur *metaphysica*; compositio enim ex genere et differentia non solum in rebus naturalibus seu materialibus invenitur, sed etiam in simplicibus et a materia remotis. Talis est definitio hominis, qua dicitur esse *animal rationale*.

97. **In definiendo non datur processus in infinitum.** Ex dictis nonnulla consectaria valde utilia deducuntur. Ac primo quidem manifeste patet, in definitione rerum sistere oportere in quibusdam notionibus, quae definitioni non sint obnoxiae. Secus impossibilis evaderet definitio, eadem certe ratione, qua si omne corpus, quod illuminat, ab alio lucem mutuari deberet, nullum esset corpus illuminans nullumque illuminatum; et si omne quod movet, ab alio moveri deberet, a quo motus inciperet nihil esset, atque adeo nullus motus dari posset. Quare Angelicus: "Dicendum, quod sicut in demonstrationibus oportet fieri reductionem in aliqua principia per se intellectui nota, ita investigando quid est unumquodque: alias utrobique in infinitum iretur; et sic periret omnino scientia et cognitio rerum." (Og. Disp. *Verit.* q. 1, a. 1.) Istiusmodi vero generis habentur prima simplicia, seu notiones primordiales, quae in mente efflorescunt, quales sunt notiones *entis, unius, boni, potentiae, actus*, atque aliae consimiles. Declaratio vero, quae in talibus adhiberi solet, non eo spectat, ut per simpliciora et notiora pateant, sed ut mens reflexione sua eas separet, tum a phantasmatibus imaginationis, tum a ceteris notionibus complexis, quibus admixtae inveniuntur.

98. **Unius rei una est essentialis et perfecta definitio.** Intelligitur secundo, non plures sed unam dari posse definitionem de re una, si definitio sit quidditativa et perfecta. Ratio est perspicua. Nam huiusmodi definitio plane

exhaurit et comprehendit omnia, quae ad essentiam rei pertinent, ac propterea nihil relinquit quod alia definitione explicetur. \* Si accipiatur definitio rei, ait S. Thomas, quae complectitur totum esse rei secundum quod ex omnibus causis constituitur, quae est perfecta definitio, tunc unius rei non potest esse nisi una definitio. „ (2. *Dist.* 2. 7. q. 1, a. 2. ad. 9.) Consulto dixi definitionem *essentialem et perfectam*. Nihil enim prohibet idem diversimode definiti posse vel secundum varias eiusdem proprietates et accidentia, vel secundum diversa principia unde dependet.

99. **Plura, ut plura, nequeunt unica definitione reali definiti.** — Inferitur tertio e converso, definitionem unam realem non convenire pluribus, prout sunt huiusmodi. Cum enim rei definitio sit quaedam expressa imago essentiae eiusdem, totidem definitiones formari necesse est quot fuerint essentiae per definitionem explicandae. Hinc nomina complexa diversae rationis, ex. gr. *homo albus*, interpretationem quidem capiunt, minime vero definitionem. Aliam enim definitionem habet *homo*, in quantum homo, et aliam *albus* qua tale. Idem a fortiori dicendum de aequivocis.

100. **Definitio per additamentum.** — Colligitur quarto, ea quae ex essentiali sua ratione ordinantur ad aliquid aliud, non posse definiti nisi in definitione ponatur id ad quod ordinantur. Hae definitiones *per additamentum* a scholasticis vocari consueverunt. Ex quo patet discrimen inter definitionem substantiae et accidentis. \* Substantia enim, ait S. Thomas, quae habet quidditatem absolutam non dependet in sui quidditate ex alio, ita quod oporteat exteriorem essentiam in eius definitione poni. Accidentia vero non habent esse nisi per hoc quod insunt subiecto, et ideo eorum quidditas est dependens a subiecto; et propter hoc oportet quod subiectum accidentis in definitione ponatur, quandoque quidem in recto, quandoque vero in obliquo. In recto quidem quando accidens significatur ut accidens in concretionem ad subiectum; ut cum dico *simus est nasus concavus*; tunc enim nasus ponitur in definitione simi quasi genus, ad designandum quod accidentia non

habent subsistentiam nisi ex subiecto. Quando vero accidens significatur per modum substantiæ in abstracto, tunc subiectum ponitur in definitione eius in obliquo, ut differentia; sicut dicitur, *similitas est concavitas nasi*. (7. *Metaph.* lect. 4.)

101. **Leges bonæ definitionis.** — Quod attinet ad leges, quibus adstringi debet definitio, ut suo munere fungatur, late de iis disserit Philosophus toto lib. VI. Topicorum. Præcipua hic indicabimus.

1<sup>a</sup> **Definitio sit perspicua.** — Sensus huius legis hic est, ut videlicet, supposita peritia idiomatis, bene intelligatur quodnam sit definitionis subiectum, et quid sit id, quod definitio ei attribuit. Ratio perspicua est; definitio enim ideo adhibetur, ut conceptuum obscureitas a mente auferatur, ac propterea ipsa minime obscura sit oportet. Contra hanc legem hisce modis peccatur potissimum.

a) Si in definiendo voces adhibeantur ancipitis significationis, inusitatae, vel sensu alieno. Similiter etiam peccatur quando metaphoraë oggeruntur inopportune. Metaphora enim, ut animadvertit S. Thomas (2. *Poster.* lect. 16), accipitur secundum aliquid simile; non oportet autem ut id quod est simile secundum unum, sit simile quantum ad omnia. Præberetur itaque erroris occasio nescientibus quantitatem similitudinis; hæc vero ignoretur necesse est, antequam ope definitionis sciamus quid quidque sit.

b) Definiendo idem per idem, ut si dices *Homo est substantia humanitate prædita*. Hinc vulgare præceptum est, ut res definienda sub eo respectu, quo definitur, definitionem minime ingrediatur. Hoc idem vitium incurrit is, qui in definitione adhibet aliquid, quod iterum definitur per illud ipsum, quod est in questione; ex. gr. *Dies est tempus constans viginti quatuor oris; hora autem est vigesima quarta pars diei*. Hic modus definiendi idem per idem dicitur *circulus vitiosus*.

c) Si definitio, per se dicta, non manifestat cuius rei sit definitio. Huiusmodi enim definitio, ut lepide notat Aristoteles (6. *Top.* c. 1.), se habet sicut imagines quo-

rumdam pictorum, quibus visis non potest percipi, cuius rei sint imagines, nisi subscriptio apponeretur.

2<sup>a</sup> **Definitio sit brevis et minime redundans.** — Brevitas in definiendo exigitur, quia definitio est veluti caput totius disputationis, ac propterea eiusmodi esse debet, ut et facile memoria teneri, et expedite, cum opus fuerit, in medium proferri queat. Requiritur deinde, ut nihil superfluum contineat; secus enim vel brevitatis desiderabitur, vel, quod peius est, rei propria notio non datur. Regula ad dignoscendum, num aliquid redundans in definitione addatur nec ne, hæc traditur ab Aristotele (l. c.); Universim in definitione superfluum est omne id, quo ablato, quod remanet sufficienter explicat quid sit definitum.

3<sup>a</sup> **Definitio per se primo prædicetur de definito.** Sensus est: definitio talis esse debet, ut cum definito prorsus omnino convertatur ita, ut de quocumque affirmatur definitum affirmari debeat et definitio, ac viceissim. Non est proinde definitio conceptus, si dicas illum esse *representationem distinctam obiecti*; nec definitio vocabuli, de quo diceretur, esse *signum internarum animi affectionum*. Ratio præcepti est, quia per definitionem quidditas obiecti manifestatur. Atqui nulla res est sine sua quidditate, nec viceissim ulla est quidditas sine re quam constituit.

4<sup>a</sup> **Ea, quibus definitio conficitur, re definita sint priora et notiora.** — Hoc præceptum dupliciter accipi potest, videlicet ita ut intelligatur de prioribus et notioribus *secundum se*, vel respectu nostrae cognitionis sive *quoad nos*. Hoc posteriori modo intellectus, servari debet in omni definitione. Nam definitio se habet ad definitum sicut principium unde hoc manifestatur; principium autem est prius et notius in cognitione nostra respectu rei, quae per illud innotescit. Sin vero priori sensu intelligatur, non in qualibet definitione servari debet, sed in quidditativa dumtaxat seu essentiali. Hæc enim explicat rem per eiusdem principia essentialia sive physica sive metaphysica. Atqui principia constitutiva, secundum se, sunt priora et notiora re, quae iis constituitur; *priora* quidem, quippe ex eis de-

pendet essentia rei, *notiora* vero utpote simpliciora. Hinc minime repudianda est definitio *quidditativa*, quasi sit obscura, propterea quod notionibus constet abstractionibus et a vulgari intelligentia remotioribus: infima enim principia constitutiva rei plerumque non sunt nota vulgo, sed sapientioribus tantum.

**5<sup>a</sup> Res definiatur per genus proprium et propinquum.** — Nam huiusmodi genus praecipue continetur in quaestione *Quid res sit*. Quare triplici hac ratione peccari potest contra hoc praeceptum. Primo quidem si nullum genus assignetur, sub quo res definienda contineatur, ut si quis naturale corpus diceret esse, *quod habet tres dimensiones*. Deim vero, si genus afferatur non proprium; puta, si virtutem definires, ponendo eam in genere *actionis* vel *relationis*; est enim in genere *qualitatis*. Peccatur denique si genus sit revera proprium sed non proximum, ut si diceres *Homo est substantia rationalis*. Hinc monet Aristoteles, quod si loco generis proximi assignetur genus superius, debent adici differentiae intermediae; tum enim loco generis proximi ponitur definitio ipsius, quae constat genere superiori et differentis ei adiunctis.

**6<sup>a</sup> Cum res quidditative definitur, differentia aduectur, quae per se dividit genus, non per accidens.** Ratio est, quia definitio quidditativa explicat principia specifica rei. Species autem constituitur per differentiam quae per se dividit genus: differentiae enim per accidens non indicant nisi accidentia superaddita speciei. Ad rem S. Thomas. \* Dicendum, quod ad rationem speciei pertinet, quod se habet ex additione ad genus. Sed generi potest aliquid addi dupliciter. Uno modo quod per se ad ipsum pertinet, et virtute continetur in ipso, sicut *rationalitate* additur animali, et talis additio facit veras species alicuius generis, ut per Philosophum patet in 7. *Metaph.* (tex. 13.), et in 8. (tex. 10.). Aliud vero additur generi quasi aliquid extraneum a ratione ipsius, sicut si *album* animali addatur vel aliquid huiusmodi; et talis additio non facit veras species generis, secundum quod communiter loquimur de generibus et speciebus. (Summa th. 1. 2<sup>ae</sup>

q. 35. a. 8.) Habendum tamen est prae oculis monitum eiusdem S. Doctoris sic aientis. \* Aliquando necessitas cogit, ut utamur loco per se differentiarum differentis per accidens, in quantum sunt signa quaedam differentiarum essentialium nobis ignotarum. (7. *Metaph.* lect. 12.)

**102. Duplex via bonae definitionis obtinendae.** — Ad complementum doctrinae, pauca supersunt dicenda de methodo, quae usui esse potest, ut bona rei definitio conficiatur. Duplicem regulam tradit Philosophus in secundo *Posteriorum Analyticorum*, c. 14. et cum eo ceteri Scholastici, aliam divisivam et syntheticam, aliam vero collectivam et analyticam.

Prior haec est. Assume id, quod certe communius est re definienda, et loco generis constitui queat. Hoc divide in suas partes subiectivas. Si una e speciebus cum re definita reciprocatur, haec erit definitio quaesita. Si vero nulla reciprocetur, ei tamen aliqua conveniat, hanc ulterius divide, et, si opus fuerit, subdivide, donec complexio notarum differentialium successive aucta solummodo conveniat rei propositae. Hanc methodum passim adhibet Angelicus Doctor in definitionibus tradendis. Videatur ex gr. definitio virtutis. (Summa th. 1. 2<sup>ae</sup> q. 50.)

Alteri vero methodus sic habet. Considera individua, quibus tribuitur nomen rei definiendae, et neglectis particularibus determinationibus expendi rationem, quamobrem ita nominentur. Si ex tali consideratione unicam rationem communem eruere, iam inventa erit specifica differentia. Quod si plures reperiantur, vel ab iis abstracti potest tertia ratio communior, et haec erit differentia quaesita; vel id obtineri non potest, et hoc indicio erit, rem cuius definitio quaeritur non esse unius rationis, sed plura, et ita non posse unica definitione declarari. Inventa sic differentia specifica, facile erit invenire genus consimili processu, comparando nimirum rem definiendam cum rebus sibi propinquiioribus, ut inde eruatur communis ratio, in qua conveniunt. Definitionis sic obtentae egregium exemplum habes apud S. Thomam. (Summa th. 1. p. q. 18. a. 1. 2.)